

Sigismundus primus rex Polonia, ca:
pitaneis terrarum regni Polonia.

15

Generose fidelis dilecte. Exigentibus ita rationi:
bus reipublice regni nostri, motionem bellicam
generalem subditorum nostrorum indiximus,
quam vitare nullo pacto potuimus propter
insolentiam hostium nostrorum tam infideli:
um et crucis Christi inimicorum, quam eti:
am schismaticorum, qui regnum et dominia
nostra infestare, subditosque nostros per omne
scelus et audaciam diveiare et in servitutem
abducere, terrasque regno nostro subditas deser:
tare non dubitant, dimisimusque literas no:
stras universales in vim tertiarum restium, qui:
bus nobilitatem et reliquos regni nostri sub:
ditos ad arma contra eosdem hostes nostros
sumenda, evocamus. Volumus igitur et man:
damus tue fidelitati, ut easdem postremas
restium literas nostras ad universam nobi:
litem perferri faveat, et per publica preconia
ad omnium et singulorum notitiam, eandem
motionem bellicam, simul cum conventibus, quos
de protectione eorum in isto palatinatu in ipsis
restium literis indiximus, deducat et deduci fa:
ciat, ita ut quisquam ignorantiam de eis pre:
tendere non possit. Preterea civitatibus et op:
pidis nostris in capitaneatu isto consistentibus
sub penis nostris regalibus severe mandet,
ut currus

ut currus cum comiteatu, iuxta antiquum mo:
rem sine ulla cunctatione et mora, nobis ubi:
cunque fuerimus, pro die visitationis Mariae
virginis mittant, efficiatque ne cives ipsi aut
oppidani ignorantiam de huiusmodi mandato
nostro pretendere valeant. Volumus autem ut
postremas hasce nostras restium literas, mox
à dominica rogationum proxima publicari, et
ad omnium notitiam deduci fidelitas tua fa:
ciat, pro gratia nostra aliter non factura. Pra:
covia sabbato ante conductum pascha, anno do:
mini millesimo quingentesimo trigesimo septi:
mo, regni nostri trigesimo primo.

Ad mandatum proprium
sacre regie maiestatis.